



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXV. Alexandri Papae III. Ad Thomam Archiepiscopvm
Cantvariensem. Significat se Gratianum cum quodam notario ablegasse
ad regem, petiturum ne iura ecclesiae violet, & cum eodem Thoma ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

beant, quo tenentur, absolui: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si iam sicut audiimus, per aliquos sunt absolui, ipsis ex parte nostra virtute iuramenti firmiter iniungatis, quod præsumptas possessiones & bona personis & ecclesiis, de quarum iure existunt, incontinenti relinquunt, nec eas tenere, aut se in his de cetero intromittere qualibet occasione præsumant. Quod si ad vestrum præceptum non fecerint, vos eos omni dilatione & appellatione cessante in priorem excommunicationis sententiam, vsque ad satisfactionem plenariam, reducatis. Si vero a vobis fuerint absolui, id nihilominus, sicut prædiximus, efficiatis.

EPISTOLA XXV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM
CANTVARIENSEM.

Significat se Gratianum cum quodam notario ablegasse ad regem, petiturum ne iura ecclesiæ violet, & cum eodem Thoma reconcilietur.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

ILLVSTRIS regis Anglorum nuntios & literas accepimus. Et cum a nobis per eosdem nuntios quædam magna & difficilia postulasset, & super iis obtinendis apud nos nuntii eius vehementer & fortiter institissent, animum nostrum ad voluntatem suam nequaquam flectere potuerunt. Sed ne possent habere vllam materiam & occasionem de nostra duritia conquerendi, & quod sibi nollemus in aliquo deferre, sequentes vestigia & exempla prædecessorum nostrorum, quos sanctos esse non dubitamus, prædictum regem cum omni benignitate, modestia, & mansuetudine a suo reuocare proposito, & eius mitigare animum, & emollire disposuimus duritiam. Inde vtique fuit, quod nos (sicut de consilio & deliberatione fratrum nostrorum processit) dilectos filios nostros Gratianum subdiaconum, & notarium nostrum, virum honestum &

literatum, quem ob memoriam sanctæ recordationis patris & prædecessoris nostri Eugenii papæ, & intuitu sincerissimæ fidei & obsequii sui, carum omnimodis acceptumque tenemus; & magistrum Viuanum, quem ob antiquam familiaritatem, prudentiam & literaturam eius sincero cordis affectu diligimus, ad præfati regis præsentiam duximus destinandos. Per quos, & per literas nostras ipsum cum omni studio & sollicitudine districtius quam possumus commonemus, ut tibi pacem & gratiam suam restituens, te ad ecclesiam tuam honorifice reuocet, & tam tibi, quam eidem ecclesiæ, antiqua iura, & libertates, & honores integre & illibate conseruet, & te & tuam cum omni pace & tranquillitate esse permittat.

Quapropter rogamus fraternitatem tuam atque monemus, quatenus malitiam & angustiam temporis diligenter considerans, & attendens, quomodo maiores nostri tempora redemerunt propter dierum malitiam, ad recuperandam gratiam & amorem supradicti regis, omnibus modis quantum saluo ordine & officio tuo fieri potest, elaboras, & eius fatagas animum mitigare, illam patientiam, mansuetudinem & benignitatem ostendens, quod a nullo merito possit dici per te remansisse, quo minus gratiam & bonam voluntatem illius plenius deberes adipisci. Rogamus præterea prudentiam tuam, monemus, consulimus, & volumus, ut usque ad discessum nuntiorum nostrorum nec in regem, nec in personas regni, aut regnum, aliquam sententiam proferas; & si forte (quod non credimus iam protulisti, ipsam usque ad tempus illud suspendas. Hoc autem ideo dicimus, ut illi omnem conquerendi occasionem & materiam tollamus, & eius duritiam tali modo vincamus. Si enim secus (quod absit) contigerit, nos tibi auctoritatem tuam subtrahere nullatenus volumus, sed potius conseruare, & auxilium & consilium nostrum diligenter conferre. Cetera vero in ore nuntiorum nostrorum posuimus, quorum dictis fidem incunctanter adhibeas, & eorum consiliis & exhortationibus acquiescas.